

Order of Saint Lazarus: Primary sources

Guillaume Sutton, Master of Burton Lazars. Document recording the recruitment by 'frater Willelmus magister de Burton Sancti Lazari Jerosolimitani in Anglia' of Robert Ypter in the confraternity at Burton dated 1st December 1465. Original document on parchment. Leicester Public record Office (Leicester), DE 2242/6/7

- Transcribed in: R. Hyacinthe. L'Ordre de Saint-Lazare de Jérusalem au Moyen Age. Études & Communication Édition, Bez-et-Esparon, 2003, +253p. [doc.XII] [ISBN: 2911722205]

Universis sancte matris ecclesie filius ad quos presentes littere pervenerint, frater Willelmus magister de Burton Sancti Lazari Jerosolimitani in Anglia et eiusdem loci confratres, salutem ac utriusque hominis continuum incrementum.

Quia quanto magis spiritualia dona erogantur tanto ut credimus potiora eterne retributionis premia consequamur, verum dilectioni vestre innotescimus per presentes, quod sancte Romane Ecclesie pontifices ex plenitudine eorum potestatis nobis gracie indulgerunt quod, omnibus qui de facultatibus et bonis eisdem a Deo collatis nobis subvenerint aut in nostram fraternitatem sunt assumpti et omnibus benefactoribus ac exortatoribus tocies quociens unum annum iniuctum penitentiae relaxaverunt, et in plenam participationem omnium missarum ac aliarum devotionum singulis ecclesiis per universum orbem Deo offerendarum, ac singulis annis in die veneris magne ebdomade eorum proprium curatum plenam habere potestatem eosdem absolvendi ab omnibus peccatis, nisi talia sint super quibus sedes apostolica sit merito consulenda, et etiam vota abstinentie et peregrinationis quocumque commutandi in alia pia subsidia dicto hospitali eroganda, votis Jerosolimitani et beatorum Petri et Pauli apostolorum dumtaxat exceptis, et in tempore mortis omnium peccatorum suorum plenam remissionem, et ut hii qui in nostram fraternitatem sunt assumpti, si ecclesie ad quas pertinent a divinis officiis fuerint interdicte cosque mori contigerit, eisdem ecclesiastica sepultura non negetur, nisi vinculo excommunicationis nominatim fuerint innodati.

Unde nos magister et fratres antedicti auctoritate apostolica vigoreque privilegiorum nostrorum in nostram fraternitatem recipientes Robertum Ypterum nostrorum privilegiorum, indulgenciarum et aliorum pietatis operum participem in omnibus facimus per presentes. Sigillo nostro fraternitatis signato. Apud Burton predicto in nostra domo capitulari, primo die mensis decembris, anno Domini M^o CCCC^o LX^o V^o.